ſequeretur, Cæſareanorum ducibus conſtabat. Is humanarum calamitatum impatiens, cum Hiſpanis novas acceſſiſſe vires, fœderatorum copias Roma procul profectas animadverteret, licet a Cæſaris ducibus indigna, atque intoleranda peterentur, & crebro a fœderatis urgeretur, ne feſtinato conſilio feliciores eventus interturbaret, nihil ſe recuſaturum præſeferebat. Itaque cum Prorege, qui Romam venerat, in has conditiones pepigit: nempe, ut *quadringenta aureorum millia Cæſareanis militibus perſolveret*: *Hadriani*, *Hoſtiæ*, *Centumcellarum*, *& Tipherni arces Cæſari dederet*: *ad hæc Parmæ*, *& Placentiæ urbes relinqueret*. *His peractis*, *nondum libertate potiretur*, *ſed Cajetam perduceretur*, *ibi Cæſaris ſententiam de concordiæ pactionibus præſtolaturus*, *quid de illo*, *& Cardinalibus*, *atque aliis*, *qui arce detinebantur decerneret*. Statimque Bartholomæus Gatinara, & Ludovicus Lodronius a Prorege delecti, qui cum Juliano Zeno, cui id munus a Pontifice mandatum fuerat, prius commeatus fide a Florentinis impetrata, in Galliam Ciſalpinam proficiſcerentur, ut Parmam, ac Placentiam Cæſareanorum poteſtati permitterent. Hoc Clementis conſilium licet prius mente prævideretur, haud parum fœderatorum, & Venetorum præſertim animis moleſtiæ injecit, quod Cæſaris vires augeri, atque de eo conceptam opinionem incrementa ſumere cognoſcerent, cujus animus abditus, & multis receſſuum ambagibus obtectus ægre perſpici poterat; cum nonnunquam ad pacem propenſus non modo, verum etiam accenſus videretur, aliquando iniquas adeo illius ineundæ rationes objiciebat, ut averſus omnino a concordiæ ſtudio videretur, atque homines non vulgaris prudentiæ exiſtimarent, eo illius conſilia ſpectare, ut moras nectendo Gallorum ardorem reſtingueret, atque fœderatos belli tædio conficeret. Verum Senatus, immutato Clementis animo, nihil de vetere inſtituto immutavit, ſed eo acrius inſiſtendum putavit, quo Pontificis res vehementiori procellarum turbine quaſſari animadverterat; cum præcipue vel neceſſitate adactum, vel timore perterritum, ac de incolumitate ſolicitum ſua, iniquiores pacis conditiones amplexum fuiſſe intelligeret; id fortaſſis eventurum rati, ut & illum facti tæderet, & felicior fortuna aliquando votis aſpiraret. Senatus itaque conſulitur, ut ne quid, illo adhuc capti-

1527

*Clementis cum Hiſpanis conjunctio.*

*Clemens Juliano Zeno mandat ut Parmam, & Placentiã Cæſareanis permittat.*

*Veneti, ne Parmã & Placentiã in Cæſareanorum poteſtatem concederent, nituntur.*